





1. Wittenbergensis, theologiae facultatis, refutatio libelli Calviniani, de Coena Domini, Wittenb. 1597.
2. Gernerii s. Salom. s. Diff. de reliquijs s. Matris Ecclesiae Romanae, Wittenb. 1597.
3. _____ Diff. de uno et trino Deo, Wittenb. 1593.
4. Kely s. Laur. s. Theses de sacramento Coenae Domini, Wittenb. 1596.
5. Runz s. Dav. s. Diff. ex Epist. pauli ad Romanos, Wittenb. 1596.

Duce & auspice Christo :
DISPUTATIO SACRA
DE DISCRIMINE
UTRIVSQUE TESTAMEN-
ti: & Sacramentorum iisdem
connexorum

Quam
*Contra Anabaptistas, Pontificios &
Calvinianos*

Ad disputationem secundam ex altero tomo R. Bellar-
mini in collegio Studiosorum Theologiae 21.
August: instituendam proponit

M. MARTINUS CONRADUS Francus.

Respondente

M. MATTHIA SCHEUFFLERO Mainhar-
tense Hoënloico.



WITTEBERGAE

Typis Wolfgangi Meisneri,

ANNO MD. LXXVI.



*luthoritate, eruditionis excellentiâ, nominisq; ce-
lebritate Clarissimis, amplissimisq; viris:*

Dn. Iohanni Segnitio U. I. D. & Amplissimæ Reip.
Kittingensis advocato dignissimo.

Dn. Petro Scipioni Philosophiæ & Medicinæ Doctori
& Physico ibidem celeberrimo.

Dn. Conrado Mullero, Illustrissimæ aulæ onoldinæ
Consiliario & exuli Christi pientissimo.

Dn. Georgio Reimanno exuli Christi ob Confessionem
veritatis contra Pontificios Spectatissimo.

Dominis & fautoribus suis omni reverentia prosequendis

Hoc exercitium Theologicum

*Causa declarandæ debitæ gratitudinis pro multiplici bene-
volentia sibi exhibita*

Nuncupat & consecrat

M. Martinus Conradus.



quodam de ... 15. D. Humij Marpurg. habi. Far. in 4to pag. 83.

Positio prima.



Inmensa bonitatis et misericordiae Dei indubium argumentum est: cum protoplastae humani generis per tristissimum suum lapsum, se, totamque posteritatem, in inextricabiles calamitates precipites dedissent: quod ipse miseros homines erexit spe sine nascituri, qui eorum labem suam morte expiaret: suam justitiam & innocentiam ipsis imputaret, atque aeternae vitae consortes, cunctos veram fide promisso semini Mulieris adherentes, redderet.

Gen. 3. v. 16
17. 18. 19.
Ioh. 3. & 1.
2. Cor. 5. v. 18.
19. 20.

2. Verum in cordibus hominum tantas radices egit lucis originis, ut Deo quantumvis verissimo, qui se ipsum se negare non potest, credere haud valeamus, quando in verbo suo ipsis de rebus nobiscum loquitur, quae nostrae rationis, in spiritualibus quavis talpa caecioris, captum superant.

Gen. 3. v. 21
2. Tim. 2. v. 12.
1. Cor. 1. v. 20
21. 22.

3. Proinde ne etiam hac in parte Deus deesset imbecillitati carnis nostrae, non tantum in verbo nobis suam voluntatem misericordem, de salute hominum aeterna, revelavit: verum etiam quaedam signa gratiae verbo adjunxit: quibus utentes vera fide, certi redderentur de gratuita remissione peccatorum, donanda justitia & vita aeterna.

1. Cor. 2. v. 7.
Iudic. 4.
Gen. 17.
Exod. 16.

4. Magnam vero peperit disceptationem, quod vetus Testamentum cum suis signis debuit antiquari: postquam angelus testamenti ad suum templum venerat, & annunciare acceptum annum domini coeperat: aliaque & nova signa gratiae instituerat.

Matth. 26. 25.
Mar. 14. & 16.
Aug. con. Fau.
lib. 19. c. 16.
Heb. 3. v. 15.
Malach. 3. v. 1.

5. Hunc enim iam olim contenderunt Anabaptistae, quod in veteri Testamento, Iudaeis tantum fuerint promissiones exhibendae terrena benedictionis traditae. Promissiones autem Spirituales de vita aeterna, sub tempore novae legis promulgatas esse. Quapropter ad huius testamenti signa & populum unice pertinere.

Chemn. in 3.
part. 1. com. de
dis. vet. & nov.
test. & in loco
com. par. 2. de
lege. Calv. 1. 2.
instit. c. 10. s. 10

6. Caeterum Pontificii quanquam in hoc non faciunt cum Catabaptistis: tamen & ipsi in effectu principali, discrimen Sacramentorum comminiscuntur.

Aug. lib. 4.

7. Nam R. Bellarminus, pugnans pro opinione pontificia, de effectu signorum veteris legis ita differit. Catholici omnes conveniunt, Sacramenta veteris legis, quae proprie Mosaica dicuntur, non contulisse gratiam ex opere operato.

quest. super
numeros.

8. Idem etiam Iesuita, quem opinetur esse principalem effectum Sacramentorum N. T., his verbis exprimit. Quae est, utrum praeter has differencias (quas eo loco recitat Iesuita) discrimen (Sacramentorum veteris & novae legis) sit in effectu principali, qui est justificare a peccatis. Haereticus huius temporis nullum fere ponunt discrimen: quanquam inter se non satis conveniunt, Hactenus Iesuita.

Bellarmin. 2.
de effectu sa-
cra c. 1. & 2.
ibidem, c. 2.



- Ibidem.** 9. Ex his planum fit, principalem effectum Sacramentorum novi fœderis, Iesu ita esse, iustificare à peccatis. Vnde idem is sic discernit inter Sacramenta utriusq; legis: quod quæ sunt novi fœderis, conferant gratiam: veteris, olim eam tantum significasse.
10. Item: quòd in Sacramentis V. T. non ipsum Sacramentum propriè sit operatum gratiam: sed vel fides & devotio suscipientis, vel totius Synagoge, vel quid aliud.
- Beza in collo. Mompelgart, de cœna,** 11. Deniq; Calviniani opinantur, Sacramenta utriusq; fœderis reipsa, quoad materiam & substantiam, non esse diversa, sed planè eadem: & duntaxat quoad formam seu modum revelationis seu perfectionis, quoq; ad mensuram, differre.
- Calv. l. 4. in sit. c. 14. s. 15. Ibid. s. 16.** 12. Hoc Calvinus satis indicat, dum scribit: Christus omnium Sacramentorum est materia & substantia, quia extra ipsum nihil promittunt.
- Idem l. 2. in sit. c. 10. s. 2. & c. 11. s. 1.** 13. Alibi etiam clariùs sensa animi prodidit, Patrum, inquit, omnium fœdus adeo substantia & reipsa nihil à nostro differt, ut unum prorsus atque idem sit: administratio tantùm differt. Et rursus: Quicquid ergò hodie in Sacramentis exhibetur, id in suis olim recipiebant Iudæi: Christum videlicet cum suis spiritualibus divitiis.
- ΚΑΤΑ ΜΕΝΟΥ.** 14. Cum itaq; magna res agatur nobis cum adversariis, in quâ decidenda, tanto decet nos cautiore esse, quanto certiore victoriae spem in suâ quisque opinione collocarit: discrimen utriusq; fœderis, iisdemq; annexorum signorum gratia, animo paullulum accuratius expendere, operæ pretium est.
- Gal. 4. v. 24.** 15. Verùm dubitandi locus iam non est, sintnè duo testamenta: quod Dominus Paulus omni exceptione testis maior affirmat. Hac, inquit, sunt testamenta duo, unum quidem in monte Sina.
- Mar. 24. v. 24. Matth. 26. 24. 1. Cor. 11. 25.** 16. Novi testamenti meminit noster Salvator, quando in prima celebratione sacrae cœnae, de altera parte ejusdem ita pronuncia vit: Hic est calix novi testamenti in meo sanguine.
- Ierem. 31. v. 31.** 17. Immo quòd post primi pæcti violationem, in novissimis diebus novum fœdus feriret Deus cum hominibus, apud Prophetam ipse luculenter prædixit:
- Exod. 24. v. 8.** 18. Quid autem voce Testamenti significetur, ex dictis liquet, nempe pæctum, quod Deus cum hominibus inijt. Ob quod dixit Moses Israelitis. Hic est sanguis fœderis, quod pepigit dominus vobiscum, super cunctis sermonibus his.
- Ierem. 31. Heb. 8. v. 13.** 19. Et quia Deus bis cum hominibus pacisci voluit, duorum testamentorum sacer codex ita meminit, ut alterum vetus, & alterum novum appellet.
20. Vetus

20. *Vetus autem testamentum Spiritus sanctus in verbo ad solam gentem Iudeorum adstringit. Sic enim oraculum divinum locutum est ad Moſen. Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Israelitis pepigi fœdus. Item. Hæc sunt verba fœderis, quæ præcipit dominus Moſi, ut feriret cum filiis Israel in Moab.* Exod. 34. Deuter. 29.
21. *Ob hoc ipsum Iudæi peculium Dei nominabantur, Populus Dei, scilicet hereditatis Dei, vinea domini, hereditas Dei.* Exod. 19. 2. Sam. 7.
22. *Huic populo credidit Deus eloquia sua. De quo etiam dominus ita loquitur. Hæc enim est sapientia & intellectus coram populis, ut audientes universi præcepta hæc, dicant: En populus sapiens. Nam quæ est gens sic inculta, ut habeat ceremonias, iustaque iudicia iuxta omnem Legem hanc, quam ego proponam hodie ante oculos vestros.* Ierm. 51. Esa. 5. Deut. 4. Rom. 3. 2. Deut. 4. v. 6. 7. 8.
23. *Erant autem illius legis tres partes: una Moralis, quam Dominus suo digito duabus tabulis lapideis inscripsit, & Moſi in monte Sinai tradidit.* Ex. 32. & 34.
24. *Altera Ceremonialis, præcipiens de sacrificijs, & alijs munijs Sacerdotum in hac gente, circa sacrum cultum obeundis.*
25. *Tertia politiam Iudeorum informabat, unde Forensis fuit nominata, præcipiens de comuni conversatione ejus gentis: de Contractibus: de pœnis, hominibus sceleratis, irrogandis: complectens etiam delineationem eorum, quæ in civili vitâ Iudæi non admitterent.* Exod. 21. 22. 23. Lev. 18. 21. 25.
26. *Obligabat etiam lex divina Iudeos aut ad obedientiam, aut ad pœnam.* Deut. 30.
27. *Nam Moſes cœlum & terram testatur, quod Israelitis proposuerit vitam & mortem.*
28. *Qui idem legalem suam concionem hoc fulmine conclusit. Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis hujus: nec eos opere perficit: & dicat omnis populus, Amen.* Deut. 17. & 21. Galat. 3.
29. *Beneficia verò longo Catalogo percensuit, quæ Deus servantibus legem & præcepta sua conferre promisit.* Deut. 28.
30. *Cum verò in nullius hominis viribus situm esset, ut ipse animalis, legi Dei, quæ est Spiritualis, satisfaceret: attestante D. Petro, qui vetat tentare, imponi iugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri (inquit) neque nos portare potuimus: ideo Moſes de alio Propheta à Deo excitâdo Iudæis, populo concionatus est: cumque, ut audirent, præcepit illis.* Act. 15. Rom. 8. Galat. 3. & 5. 2. Cor. 3. Dent. 18. Ioh. 1. Act. 3.
31. *Quo vaticinio ipsum de Christo locutum fuisse, dubium non est: cui omnes Prophete testimonium perhibuerunt in vet. test. quod remissionem peccatorum accipiant per nomen ejus, qui credunt in eum.* Act. 10 v. 43.

- Heb. 10. 32. Nam eundem futurum, etiam multiplicia sacrificia multis seculis prae-
 figurarunt: Et inter tot typos, praecipue emittit serpens aeneus, pro signo
 Num. 21. positus, ut ejus contutu, filii Israel, morsu petiti ab ignitis serpentibus, a
 Job. 3. morte servarentur. Hunc enim typum insigniter ad se transtulit Christus,
 quando Nicodemo colloqueretur.
- Galat. 3. 24. Proinde Finis legis erat Christus, Lex enim est paedagogus ad Christum:
 & 4. 2. & 3. sub qua Iudaei, tanquam pueri sub tutoribus custoditi fuerunt, usque ad praeser-
 19. 25. nitum tempus: donec veniret semen, quod promissum erat. Vbi autem venit
 fides, non amplius sumus sub paedago.
- Descriptio v. 34. Ex his satis intelligitur, quod sit vet. test. pactum Dei cum gente Iu-
 testamenti. daeorum, in se complectens promulgationem legis Moralis, qua populus Israel
 per ministerium Moysi obligatus fuit Deo. promittenti vicissim omnis gener-
 us beneficia, corporalia & spiritualia, servantibus praecpta sui, & praescri-
 benti certas leges, quibus politia Israelitarum firmaretur, ut hic populus ab
 alio internosceretur, scireturque, ex qua gente nasceretur Messias: & denique
 praecipienti quosdam ritus & ceremonias divini cultus, quibus beneficia ven-
 tury seminis mulieris adumbrarentur, & omnibus in eundem credentibus
 gratia & vita aeterna exhiberetur & obsignaretur.
- Genes. 17. 35. Ad hoc testamentum addidit Deus duo signa: circumcisionem & solene-
 Exod. 12. nitatem agni paschalis. Quorum illud praecipit Abrahamo: & postea per Mo-
 Levit. 12. sen renovavit, nempe, ut die octavo circumcideretur infantulus.
39. Annuam autem celebrationem agni, commendavit Israelitis, tum cum
 eos ex Aegypto educeret, & Pharaonem cum omni ipsius exercitu in rubro mar-
 ri submergeret.
- Esa. 60. 14. 37. In colligenda descriptione novi testamenti primum considerandum venit,
 & 55. v. 5. quod hoc foedus ad omnes gentes totius Mundi attineat. Cum enim jam tempus
 Ephes. 2. v. 14 novi foederis appropinquasset, medio pariete maceriae soluto, pax & ius fuit
 18. annunciata qui essent longe, & qui prope essent.
2. Cor. 5. v. 20. 38. Emittebantur enim apostoli non tantum ad Iudaeos, sed in totum terrarum
 orbem, fungentes legatione pro Christo, tanquam Deo exhortante per ipsos.
 20. 21. Ipsi a. obsecraverunt pro Christo: reconciliemini Deo.
- Esa. 55. v. 1. 39. Summa capita hujus foederis Propheta exprimit his verbis: Omnes sitie-
 Matt. 5. v. 4. entes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite & com-
 edite: venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum & lac.
- Heb. 1. v. 1. 40. Postquam enim superioribus seculis multifariam Deus locutus patribus,
 per Prophetas fuisset, in novissimis diebus locutus est nobis per filium, quem
 constituit heredem omnium, per quem jam & secula condidit.

41. Is non solum mirabile decretum S. Trinitatis de salute hominum eter-
na, ex arcano sinu patris protulit, quod habeant remissionem peccatorum o- Iohan. 1. v. 18.
mnes, qui in nomen illius credunt. & 12.

42. Verum vocat etiam ultra ad se omnes, qui onerati sunt, ut refocillentur: Matth. 11.
declarans se pastorem animarum nostrarum, ad hoc a patre suo missum, ut esset Me- 1. Pet. 2. v. 25.
dicus, non pro robustis, qui Medico non egent, sed pro infirmis & egenis. Mar. 2. v. 17.

43. Et duae sunt partes ministerii Christi observandae. Vna quod imputat cre- Rom. 8. 15.
dentibus suam iustitiam: donans Spiritum sanctum: non Spiritum servitutis, ut Galat. 4. 6.
iterum timeant, sed filiorum, per quem clamant, Abba pater: ob signantem Ephes. 1.
in illis promissiones divinas & hereditatem in caelestibus.

44. Deinde renovantur credentes a Spiritu, innovatione mentis suae: & qui Gal. 5. v. 17.
mali fuimus, sanctificamur. Sanctifica pater eos, inquit, in veritate. Verbum 1. Cor. 6.
tuum veritas est. Iohan. 17.

45. Ex his planum fit, quod sit novum foedus concio de filio Dei tam incarnato, qui Descriptio
adimplevit in carne, ea quae sub typis vet. test. fuerunt delineata: & confert N. testamenti
iustitiam & remissionem gratuitam omnibus, eum vera fide amplectentibus, hosque
Spiritu suo spontaneo sic reformat, ut non iuxta vetustatem literae, sed se-
cundum novitatem Spiritus, Deo & sanctae legi eius obtemperent.

46. Porro & huic foederi duo signa gratiae addita fuerunt: Baptismus, quem Iohan. 3.
iussu praepotentis DEI primum inter homines administravit S. Baptista. Tan- Matth. 28.
dem veri eundem Apostoli, iussu sui Magistri, exeuntes in universum orbem Mar. 16.
terrarum, ad gentes omnes detulerunt.

47. Sacram vero cenam noster Salvator instituit, ea nocte, qua fuit traditus Matth. 26.
pro peccatis totius Mundi. Mar. 14.

48. Quo tempore vet. legis Sacramenta finem suum consecuta sunt, quod 1. Cor. 11.
umbra legis cederet ipsi corpori, quod est Christus in carne.

49. Sed de discrimine utriusque Testamenti, eorundemque signorum accuratius dicen- Differentiae sa-
dum est, ut inde orthodoxa doctrina contra fanaticas opiniones defendatur: cramentorum
& falsa dogmata adversariorum arguantur & evertantur. vet. et novorum

50. Proinde primum discrimen facit dispar initium utriusque foederis, ratio- percensentur.
ne temporis. Nam de vet. Testamento legimus, quod fuerit sancitum, post- Ierem. 31.
quam ex Aegypto Deus Israelitas eduxerat. Exod. 19.

51. Multis vero seculis post, novum testamentum coepit: de quo propheta: Esa. 2.
Et erit in novissimis diebus firmus mons domus domini in vertice montium, & Mich. 4.
elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.

52. Porro si etiam locum considerabimus, ubi unumquodque testamentum Deus Gal. 4.
pepigit, protinus aliud discrimen se nobis offeret.

53. Nam

- Galat. 4. 53. Nam de vet. fœdere intelligendus est D. Paulus, inquit, Hæc. n. sunt duo testamenta, unum quidem in monte Sina in servitutem generans.
- Exod. 19. & 20. 54. Quò etiam pertinet, quod Propheta Moses annotavit, postquam in deserto ad montem Sina venisset populus, Deum descendisse in montem, & locutum esse omnia verba, quæ habentur in Decalogo.
- Mich. 4. 55. De loco, ex quo egressum est N. T. Propheta Michæas loquitur: De Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ierusalem. Item: Accessistis ad montem & ad civitatem Dei viventis, Ierusalem cælestem.
- Hebr. 12. 56. Dum etiam alius Mediator vet. T. & alius novi memoratur, nomèn ingens discrimen utriusq. constituitur?
- Hebr. 7. & 8. 57. Nam ~~veteris~~ legis Mediator est Christus: qui tanto melius sortitus est ministerium, quanto & melioris testamenti Mediator est. Lex. n. per Moysen data est: gratia autem & veritas per Iesum Christum.
- Ios. 1. 58. Insuper vetus testamentum sanguine hircorum & animalium fuit confirmatum. Postquam enim Moyses minister legis volumen fœderis populo legerat, & populus responderat: omnia quæ locutus est Dominus, faciemus: ipse sumtum sanguinem, resperfit in populum & dixit: Hic est sanguis fœderis, quò pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.
- Exod. 24. 59. Atqui N. T. non per sanguinem hircorum, aut vitulorum, aut aliorum animalium fuit confirmatum. Christus enim per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æternâ redemptione inventâ.
- Levit. 16. 60. Fuit præterea lex in tabulis lapideis scripta ipsius Dei digito.
- Heb. 9. v. 12. & 10. v. 14. 61. Verùm novum fœdus inscribitur per Spiritum sanctum in corda credentium, secundùm verbum Domini per Prophetam. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.
- Exod. 31. 62. Et Corinthiis scribit D. Paulus: quoniam epistola estis Christi per ministerium meum scripta, non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed carnalibus.
- Deut. 9. 63. Porro promissionibus utrumq. fœdus supra modum discrepat. Vetus enim Irem. 31. habet promissiones de possidendâ terra Chanaan, de certa sede regni Iuda, eiusq. protectione. Hæc. n. & similes proprie ad hoc testamentum pertinent.
2. Cor. 7. 64. Nova lex tantùm habet generalem promissionem terrenæ benedictionis: Heb. 8. v. 6. & insuper complectitur gratuitam promissionem justitiæ, & Salutis æternæ. Nam & autor Epistolæ ad Hebræos scripsit: quòd novum testamentum in melioribus repromissionibus sancitum sit.
- Heb. 8. 65. Diligenter etiam expendendum est, quòd Paulus vetus testamentum literæ: Sed novum, Spiritui comparat, illi tribuens, quòd occidat: de hoc verò pronuncians, quòd vivificet.
66. Præterea

nova

66. Præterea illud vetus imperfectū fuisse scribitur: utpote quod nō haberet i-
 psū corp⁹ Christi, sed eūdem ratione carnis præfiguraret. N. a. T. imputatur, quod
 non per futurum intelligantur beneficia, sed Christi in carne manifestatio. Hebr. 10.
Colos. 2.
67. Proinde vetus aboleri oportuit. Sicut scriptum est, dicendo novum, vete-
 ravit prius. Novum autem fœdus manet in æternum. Nam eò quod Christus
 manet in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Hebr. 8. v. 13. 8.
7. v. 24. 25.
68. Erat a. illud infirmatum. Reprobatio autem fit antecedentis mandati,
 propter infirmitatem ejus & inutilitatem. Impossibile n. erat legi, in quo in-
 firmabatur per carnem, ut à peccato absolveret. Proinde Deus filium mittens
 in similitudine carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne. Heb. 7.
Rom. 8.
69. Deniq; vetus lex à D. Petro intolerabili iugo comparatur: quod nemo
 unquam portare potuerit: propter quod hortatur suos *ὁυέσϋε* in verbo, ne
 tentent, tale jugum imponere super cervices discipulorum. Actor. 15.
70. Et hoc ipsum in parabolâ de operariis in vineam conductis adumbratur.
 Dum n. alii introducuntur, qui pondus & æstum d'ei portare dicuntur, gens
 Iudeorum depingitur: qui sub lege detenti, variis ceremoniis & cultibus divi-
 nitus præscriptis exercebantur. Quo respectu Paulus scripsit: Cum essemus
 parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. Matth. 20.
Galat. 4.
71. Novum autem testamentum esse jugum suave & leve, noster Salvator au-
 tor est, sic acclamans miseros & oneratos Spiritualiter, ut ad se veniant & re-
 ficiantur: Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & hu-
 milis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Jugum n. meum suave est,
 & onus meum leve. Hinc Iohannes: Mandata ejus gravior non sunt. Matth. 11. v.
23. 29. 30.
1. Ioh. 5. v. 2.
72. Et novo fœderi à Paulo tribuitur libertas, per Saram adūbrata. Illi verò
 veteri imputat, quod generet servitutē: cuius typus fuerit ancilla Hagar cū filio
 suo: quam oportuit eici domo, ut hæreditas maneret liberae & filio ejus. Gen. 21. v. 3.
Gal. 4. v. 22. 23.
73. Ex his apparet, quomodo furori Anabaptistarum obviam eundum sit, ne-
 gantium, in veteri fœdere Iudeis præter corporales, externas & temporales
 promissiones, alias & præstantiores de beneficiis cælestibus fuisse traditas. Num in vet.
test. etiã habu-
erunt promiss-
sionem Spiri-
tua. bonorum.
Genes. 17.
74. Quorsum enim illa promissa Abrahæ facta? Ero Deus tuus & seminis tui
 post te. In tuo semine benedicentur omnes gentes terræ?
75. Quorsum item multitudo sacrificiorum attinebat: nisi ut quotidie memo-
 riã renovarent Iudeis ejus promissi, quod alius nasciturus esset, qui expiaret
 proprio sanguine eorum peccata, fieretq; victima pro peccatis totius mundi?
76. Et qui potuisset exhortari Moses suam gentē, ut audiret Prophetam, quem
 post ipsum Deus excitaturus esset eis: nisi persuasus fuisset, ad Iudeos etiam
 continere promissiones futurorū bonorum in novo T. Qui audiverat dominum
 B. concio

77. *concionantem: Miserebor, cui voluero: & Clemens ero, in quē mihi placuerit.*
 Inō quōd pii in gente Israelitarum omni tempore incredibili desiderio
 tenebātur promissi Messiae, & id iούλwtop argumentum est, quōd spem habuerint
 fixam, non tantū in terrenis promissionibus, sed omnium maximē in caelestibus
 & Spiritualibus.

78. Et ut in proferendis argumentis sim parvus, quorum magnus numerus pro-
 duci posset: quid per Deum respondebunt, quando legent in Prophetis, toties
 eos memoriam Messiae renovare; atq; hoc solatio populum erigere voluisse,
 quoties Politia Iudaeorum periclitabatur, omnisq; spes Iudaeis de regno vel res-
 taurando, vel retinendo penitus erepta esse videbatur?

79. Nec est, ut quis nobis objiciat plebem Iudaeorum ceco amore, terrestriū
 bonorum fascinatam. Magna quidem pars in eā gente ollas carneas Aegypti
 admirabatur. Reliquit tamen Deus semper sibi catum, qui per terrenas bene-
 dictiones sibi spirituales figurari intellexit.

80. Proinde ad oculum monstratum est, Patres in V. T. non tantū nos
 caruisse promissionibus caelestium bonorum: sed eas etiam intellexisse, & cum
 Abrahamo exultasse, videre diem Messiae: quem licet non terreno modo, tamen
 spirituāli, ex immensa misericordia Dei viderunt.

81. Hoc. n. affirmatū ipse Christus confirmat, dicens suis Apostolis, Beati oculi
 qui vident, quae vos videtis. Dico. n. vobis, quod multi Prophetae & Reges vo-
 luerunt videre, quae vos videtis, & non viderunt: & audire, quae vos auditis,
 & non audierunt.

82. Perspicitur autem hinc discriminis ratio, quā, gratia ad vetus T. pertinua
 it. Etsi. n. ipsius non est propria, tamen eidem tribuitur propter eam ratio-
 nem, quā per typos sacrificiorum ad Mediatorem N. T. qui est Christus in
 carne, quasi digitum intendit.

83. Evanescit igitur illa dubitatio, an sacramētis v. Legis promissio gratiae fu-
 erit cōjuncta: cum id extra controversiā sit positū, quōd signa utriusq; T. u-
 numquodq; naturam sui, cum quo connexū est, testamenti imitentur.

84. Et de circumcissione D. Paulus pronunciauit, quod fuerit Abrahamo signa-
 culum institutae, ad quam pertinet promissio divina: Ero Deus tuus, & seminis
 tui posside. In tuo semine benedicentur omnes gentes.

85. Quanquam verò hoc de altero signo v. legis demonstratu sit difficilius:
 Cū n. nusquam legatur tam plana promissio gratiae, quae fuisset ei connexa: ta-
 men suppetunt rationes, quae indubitato evincunt, etiam solennitati agnū
 paschalis divinam gratiam praesentem fuisse.

86. Certē autoritate Apostoli stabilitur, quōd celebratio Phase annua, non
 solū Iudaeos admonere debuit, de immenso Dei beneficio, quo per potentem

Lucæ 1.

Zach. 1. & 9.
Ezech. 34.
v. 23, 24.

Luc. 11. v. 54.
63. 96. & 70.

Ioh. 8. v. 56.
Hebr. 11. u. 10.

Luc. 10. v. 23.
24.

an Sacramen-
tis v. legis fu-
erit connexa
promissio
gratiae.

Rom. 4.
Gen. 17.

1. Cor. 5.

- manū ex Aegypto educti essent: verūm etiā perpetua concio debuit esse de vē-
 turo Messia, qui in sanguine T. sui emitteret vinctos suos de lacu, in quo non
 est aqua: totumq; genus hominum liberaret ab inimicis suis, qui id oderant. Zach. 9.
 Luc. 1.
87. Et Paulo consentit Iohannes, recensens historiam, quid Christus, cū in cru-
 ce adhuc penderet, post mortem à militibus sit passus: mox evincit, hoc mul-
 tis seculis retrò prædictum fuisse. Et ad suum affirmatum probandum, partem
 adfert illius mandati de celebratione agni: Nullum os ei comminuetis. Exod. 12.
 Ioh. 19. v. 36.
88. Nec aliud respexit Baptistā, cum iuxta Iordanem ambulantem tam lætā Iohan. 1. v. 36.
 voce acclamaret: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.
89. Prophetā verò Esaias clarissimè illum antitypum agni ad Christum accom-
 modat, dum ejus ἀγορῶν patientiam, & humilitatem ita eloquitur: Sicut ovīs
 ad occisionem ducitur, & quasi agnus coram tondente sc. obmutescit, & non
 aperit os suum. Esaias 53. v. 7.
90. Nec vesci ulli licuit agno paschali, qui non antea per Sacramentum circū-
 cisionis genti Isralitarum fuisset aggregatus: etsi interim è gentilismo nemo
 prohiberetur, asserre sacrificia: & venire adoratum in Ierusalem. Ex. 12. v. 45.
 & 8.
 Actor. 2. v. 27.
91. Dirè etiam Dominus minatus est omnibus, qui per ritum circumcisionis in
 fœdus cum Deo fuerant recepti, cū mundi essent, neq; in itinere detinerentur,
 si hoc iuge sacrificium non offerrent. Talium anima exterminaretur de popu-
 lo suo. Peccatum suum ipsi portarent. Num. 7. v. 13.
 Levit. 18.
92. Itiq; irrefragabiliter hinc colligitur, utriq; signo V. T. gratiam connexam
 fuisse, certoq; fuisse exhibitā cunctis, qui spe indubii nascituri Messie se sunt
 solati, & virtutem meriti & passionis ipsius futuræ, vera fide sibi applicarunt.
93. Blasphemia a. putanda est, quòd Pontificii discrimen cōminiscantur in Sa-
 cramentorum utriusq; fœderis effectu: quasi illa vetera tantum gratiam signi-
 ficarint, nova verò in novo fœdere eam conferant. An Sacramen-
 ta v. & N. dif-
 ferant in effe-
 ctu principalis
94. Neq; opus habuisset Bellirminus, undiq; tam anxie corradere dicta scri-
 pturæ (etsi pleraq; satis impertinenter) quibus probaret, circumcisionem lu-
 deos à peccatis non iustificasse.
95. Neq; n. hoc dicunt, qui corde credunt, quod in Christo Iesu neq; Circumci-
 sio aliquid valeat, neq; præputium, sed fides, quæ per charitatem operetur. Galat. 5. v. 6.
96. Itaq; in ipsum meritum filii Dei blasphemiam effundit Iesuita scribens: Bell. lib. 2. de
 In Sacramentis V. T. vel fidem & devotionem susipientis, vel quid aliud ope-
 ratum esse gratiam: non vero ipsum Sacramentum. effect. Sacra I.
97. Fides enim ut illos in vet. ita nos in novo fœdere non iustificat, quia est
 opus. Neq; n. scriptura ita loquitur. Nos propter fidem iustificari: sed per fi-
 dem tanquam per Organum & medium respectu nostri apprehendens, quum
 Deus offert gratiam, iustitiam & vitam. Actor. 15.
 Rom. 1. & 7.

Genes. 17.
Roman. 4.
Iohan. 8.
Luc. 10. & 11.

98. Et manifestum est, principalem effectum vet. Sacramentorum fuisse, tum ut essent si- nacula justitiæ, & jam antegressam justificationem atq; gratuitam reconciliationem obsignarent: tum ut essent media, per quæ Deus in gente Israelitarum operaretur justitiam, conferret gratiam, & corda credentium certa redderet de donis in verbo oblati, propter $\lambda\upsilon\tau\epsilon\sigma\upsilon$ Messie in carne, suo tempore exolvendum.

99. Esse a. eundem hunc effectum primariam signorum novi fœderis, in superiore $\sigma\upsilon\lambda\lambda\iota\sigma\tau\epsilon\sigma\iota$ de Sacramentis in genere satis ostensum fuit.

100. Proinde Iesuita pugnans pro contraria sententia, hanc nucem nobis solvet.

101. Cum in dubium nemo vocet, quin Sacramenta N. T. in locum antiquorum venerint: aut cum ijs eundem habent effectum principalem, aut ab ijs sortita sunt diversum. Quod si $\alpha\delta\upsilon\upsilon\epsilon\tau\epsilon\sigma\upsilon$ est, ut in primario effectu non conveniant: siquidem hoc respectu illis nostrasuccesserunt: $\alpha\upsilon\upsilon\epsilon\tau\epsilon\sigma\upsilon$ Iesuitæ opinio corrui. tanquam evidentis falsitatis valide convicta.

Coloss. 2.
Genes. 17.
Iohan. 3.
Matth. 23.
Ephes. 5.
Tit. 3.

102. Quod ut certius constet eidem, paululum is auscultet. Arbitramur enim, quod agnoscat, Baptismum nobis hodiè esse, quod Iudæis fuit circumcisio. Nam & Paulus hoc non obscure innuit: Et ratio etiam comprobat. Nam sicut olim Iudæi per circumcisionem in fœdus à Deo recipiebantur: ita in N. T. per Baptismum in consortium fœderis cum Deo venimus. Ecquis igitur dubitat, eundem esse effectum primarium sacramentorum utriusq; fœderis?

Exod. 12.

103. Quod attinet alterum signum novæ legis, eum in Sacra lectione hospitem oportet esse, qui nescit, quod ipsum solennitati agni fuerit substitutum.

104. Perpendentibus autem finem, confitendū quidem est, quod per esum agni, Iudæis fuit renovata memoria gloriose educationis ex Ægypto.

Zach. 9
Epist. 157.

105. Verūm quoniam ea ipsa, typus fuit liberationis generis humani, quæ fieret per filium Dei incarnatum, in plenitudine temporis: promptissime inde colligitur, quod eundem effectum principalem habeat cum esu agni Sacra cœna: nisi quod antiqua signa Christum in carne venturum prænunciarunt: Nostra verò eum venisse nunciant, ut venuste Augustinus loquitur.

2. Cor. 4.
Aug. Epistola
157.

106. Et Iesuita secum hoc expendat argumentum: Eadem fides & nostra & veterum est, qui hoc crediderunt futurum, quod nos credimus factum. Hinc Apostolus: Habentes enim eundem Spiritum fidei. Si ergo eundem Spiritum fidei & illi habebant, qui Christum in carne venturum prænunciarunt, quam illi, qui eum venisse nunciant: sacramenta potuerunt pro tem-

porum

portum diversitate diversa esse: ad unitatem tamen fidei concordissimè recur-
rentia.

107. Grande verò Sophisma est, quòd voce Instrumenti ita ludat, ut videatur,
Sacramentis plus non tribuere, quàm instrumentis propriè sic dictis de-
betur.

108. Verba enim Iesuita haec sunt. Id igitur solùm quærimus, an sint (Sa-
cramenta) instrumenta Dei, id est, an Deus per Sacramenta nos justificet: Bell. lib. 2. de
eff. sac. 1.
non autem an Sacramenta sine Deo. Et sicut nemo unquam quæsit, an fa-
ber operetur: an serræ suas vices resignet, cùm constet, serram sine fabro ni-
hil agere.

109. Quòd autem aliud dicat & aliud sentiat, inde patet: quòd D. Lutherum
exipit docentem: Baptismum neminem iustificare, nec ulli prodesse: sed fidem
in verbum promissionis. L. Z. de eff.
sac. c. 3.
2. Tim. 3.
Rom. 1.

110. Et quid sibi vult, quòd ratione effectus, discrimen tradit inter concionem
verbi & Sacramenta: minorem vim audito verbo, quàm Sacramentis tribuès:
contra expressum scripturae sensum.

111. Proinde sophisma Bellarmini nos ita discutimus: Aut Sacramenta
novæ legis, iustificationis sunt instrumenta propriè sic dicta: aut improprie.
Si proprie, Iesuita errorem suum agnoscat, scribens, quòd Sacramenta novæ
vi Testamenti verè & immediatè sint causa iustificationis. Nam instru-
mentum, ut propriè sic dicitur, effectui, ad quem producendum ab agente
adhibetur, τὸ εἶναι non confert. Vnde nullo modo τὸ ἄποτέλεσμα, instru-
mento in analysi causæ redditur.

113. Neq̄ si faber serrâ utitur, ut ejus beneficio vel asseres vel arborem disse-
cet, propterea ἄποτέλεσμα & sectio serræ tribuitur: neq̄ ea propriè dicitur
dissecuisse truncum.

114. Vnde certitudo nostræ doctrinæ perspicitur, quòd Deus non ita adsit
elementis, ut ipsa Dei, πάλι γυνεσίῳ operantis, vim peculiarem perci-
piant: quæ ad solos homines se exerit. Non enim propriè ab illis, sed per il-
la à Deo. Luth. contra
caelestes Pro-
phetas.
Lombert. 5.
L. 4. D. 14.
Bell. L. 2. de
eff. Sa. c. 3.

115. Si verò Iesuita sentiat, Sacramenta N. T. improprie dici instrumenta iu-
stificationis, quia habeant vim sibi à Deo collatam, quippiam super naturale,
ut loquitur, efficiendi: ipsum sibi contradicere, sic monstramus.

116. Id non est instrumentum, quòd effectui, ad quem refertur, dat ESSE. Sed
Sacramenta, novæ legis effectui, ad quem referuntur, dant esse. Nam (ut in-
quit Bellarminus) propriè justificant, operantur, & conferunt gratiam &
habent vim, quippiam super naturale efficiendi. Ergo Sacramenta novæ legis
non sunt instrumenta iustificationis, 117. Sun

- Contradictio** 117. Sicut igitur haec *veritas* dicitur: Sacramenta esse instrumenta, per quae Deus nos iustificat. Et: Sacramenta esse veras & immediatas causas iustificationis.
Bellarmino. Quid vero tantus Iesuita scelerius scribere potuisset?
lib. de eff. Sac. 6. 2. & 1.
- Ephes. 5.** 118. Omitto, quod idem dicitur *ad Rom. 6.* Paulo contradicit scribenti: Mundans sibi (Deus) Ecclesiam lavacro aquae. Item. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis. Et. conspulti sumus per baptismum, unam cum Christo in mortem.
- Tit. 3.** 119. Hinc sic argumentamur. Id non est causa vera & adaequata iustificationis, quod eam non efficit, sed per quod tantum ea efficitur. Sed per Baptismum mundamur, renovamur & regeneramur. Ergo Baptismus non est vera & adaequata causa iustificationis, sed Deus, qui mundat, iustificat, & dat incrementum. Quare Bellarminus statuens contrarium Apostolo contradicit.
- Rom. 6.** 120. Et impostura notanda est, quod Iesuita causam proximam iustificationis (quam contra scripturam fingit) quae in ordine causarum alii subordinatur, ausit instrumentum nominare.
- Act. 17. v. 23.** 121. Quod si militet eius opinio, neque homo suarum actionum erit vera, sed instrumentalis causa. In Deo enim sumus, vivimus & movemur. Dignum vero tali patina tale operculum.
122. Monstratum igitur cum sit Bellarmino, quod opinio Pontificia sit idololatrica, nolit velit, agnoscit, quanto opere etiam reformidat, ei optimo iure tribui, quod sentiat, Deum suas vices resignare sacramentis. Hoc autem quia non minus absurdum est, quam si dicatur, fabrum suas vices resignare serrae, impia & absurda est opinio Iesuitica.
- lib. 2. de eff. c. 1.** 123. Ita que non nostri doctores, sed ipse mendacium dicit, negans, Pontificis recte obici, in suis Sacramentis auditores a Christo abstrahi, & elementis alligari.
124. Dum enim oculos pariter & animos in elementorum naturam defigunt, ibique Magicam quandam vim, quae nusquam tamen latet, falso persuasi, suspiciunt, verum Deum & quem misit Iesum Christum, cum omnibus Spiritibus alibus divitiis, certo verbo, Sacramento connexis, amittunt.
- Luth. de cap. Babyl. August. tracta. 80. in Iohan. Epist. 157.** 125. Proinde inconcussa manent axiomata. 1. Non Sacramenta, sed fidei Sacramentorum (nec qualem somniat Iesuita) iustificare, 2. Non Sacramenta impleri, dum fiunt, sed dum creduntur.
- Lib. 4. quaest. super verum numeros.** 126. Quare non fieri potest, ut Sacramenta nova differant ab antiquis, ratione primarii effectus. Haec enim aequae habent promissiones divinas, & eundem Spiritum fidei:
127. Et alibi August. Eadem quippe sunt in vet. & novo Testamento. Ibi obumbrata, hic revelata: ibi praefigurata, hic manifestata. Nam non solum Sacramenta

cramenta diversa sunt, verum etiam promissa ibi videntur temporalia propo-
ni, quibus spirituale premium occultè significetur: Hic autem manifestissi-
mè spiritualia promittuntur & aeterna.

128. Scire autem posset, si vellet Iesuita, nostrorum longè meliorem esse sen-
tentiam, quàm ipse calumniatur: Quòd Sacramenta nuda signa, picturas &
sigilla vocitent.

129. Sunt .n. sacramenta instrumenta & media, per quæ pater vult gratiam
suam exhibere, donare, applicare: filius meritum suum communicare: Spiritus
S. efficaciam suam exercere ad salutem in omni credente.

D. Chemnit. in
alt. par. exam.
de eff. & usu
Sacra.

130. Explicatâ autem communitate principali, quâ omnia sacramenta vetera
& nova conveniunt, tandem de principali discrimine, quo hæc ab illis diver-
sa sunt, verba facienda sunt.

131. Etsi .n. multæ possunt afferi differentie: ut diversitas rituum: quòd
antiqua data fuerint tantùm ad tempus: quòd nostra sint faciliora & præ-
stantiora: quòd aliud autorem habeant: tamen præcipuum est, quod ratione
substantiæ hæc & illa differant. Nam Lex umbram habuit futurorum bono-
rum: non ipsam imaginem rerum.

An ratione
substantiæ vet.
& nova Sacra-
menta diffe-
rant.

Hebr. 2.

Cap. 10.

Coloss. 2.

132. Sequitur a. unumquodq; Sacramentum sui testamenti naturâ: Ob quod
necesse fuit, ut antiqua signa, corpus & imaginem rerum non haberent.

133. Et quid firmitus, quàm quod ibidem legitur. Quando magis putatis deterio-
ra mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti
pollutum dixerit, in quo sanctificatus est?

134. Si hic per sanguinem intelligatur Christi sanguis figuratus, potuerunt
in veteri Testamento Iudæi quoq; sanguinem testamenti polluere. Sed nervus
argumenti incideretur & deficeret.

135. Præterea antiqua signa aut figurarunt substantiam aut effectum no-
strorum signorum. Non effectum. Confitentur enim Calviniani, eundem utro-
biq; esse effectum. Ergo substantiam. Est itaq; alia substantia Sacramentorum
novi fœderis, quàm erat antiquorum.

136. Quid? Quod sine sanguine nullum sit testamentum? Ergo in Sacramen-
tis novi Testamenti aut idem est sanguis, qui fuit in antiquis, aut alius. Non
est idem. Moses enim accepit sanguinem hircorum & vitulorum, cum aqua &
lana coccinea, & hyssopo, ipsum quoque librum & omnem populum as-
persit. Ergo est alius sanguis novi fœderis. Proinde nostra Sacramenta τῆς οὐσίας
& substantia ab illis differunt.

Heb. 9. v. 15.
16. 17. 18.

137. Nec valet, Sanguinem & corpus Christi in signis novi Testamenti signi-
ficari & representari.

Beza in colog.
Momp.

138. Aut enim vetus testamentum non habuit umbram futurorum bonorum

sed eam significavit: aut in novo testamento non significatur & repræsentatur imago rerum, sed habetur. Illud prius ipsis aduersariis est πρῶτον ὄξω. Ergo & hoc posterius absurdum est.

139. Connexionis ratio firmissima est. Nam si regnet glossema Calvinianorum: hæc collatio in fumos & favillos dissipetur oportet: Lex umbram habet futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.

140. Præterea modo diximus: sine sanguine nullum esse testamentum. Quo itaq; modo affuit sanguis veteri, eodē adest idē novo testamēto. Illi fuit realis. Ergo sanguis novo fæderi adest realiter. Quod etsi negare pergant: tamen nolint velint, ratione substantiæ, discrimen utriusq; Test. evidenter evincitur.

141. Proinde falsum est hoc Calvini: Christum omnium Sacramentorum esse materiam & substantiam: quia extra ipsum nihil promittunt.

August. cont. 142. Nam finis, rei substantia & materia non est. Fuit a. Christus, legis finis. Faustum lib. Nam primi Sacramenta, quæ observabantur ex lege, prænunciativa fuerunt Christi vêturi: quæ cū suo advētu Christi implevissent, ablata sūt: quia impleta.

19. c. 13.

Ibid. c. 15.

143. Quod autem scribitur: Agnum ab origine Mundi mactatum esse: Significatur, quod antiqui iusti, qui sacramentis illis intelligebant venturam prænunciari revelationem fidei, ex qua, licet adhuc abscondita, munere tamen pietatis intellectā, etiam tunc ipsi vixerint. Quia in hac vita nemo potest esse justus, nisi qui ex fide vivit.

144. Ergo non quicquid hodiē in Sacramentis exhibetur, id in suis olim receperunt Iudæi, Christum, fatemur, cum Spiritualibus suis divitiis, perceperunt etiam antiqui iusti: Sed hodiē Christum incarnatum verē & realiter in cœnā recipimus.

145. Deniq; falsum est, quod Patrum fœdus substantia & re ipsa nihil à nostro differat.

Malach. 3. 146. Vet. T. substantia fuit lex per Moysen promulgata. Novi substantia, est Heb. 8. & 7. doctrina Evangelii, cuius angelus est Christus, qui melius sortitus est ministerium, quāto melioris Testamenti Mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.

147. Et signa nunquam veritate vacua accipimus: sed semper rem, hoc est, corpus cum signo habemus: Etsi fructum Sacramentorum non omnes percipiunt. Neq; enim fides nostra præsentem facit sanguinem & corpus Christi: quæ sunt res in novo testamento. Unde tam incredulis, quā credentibus præsentia sunt. Sicut alibi monstrabitur.

148. Quare liquidū apparet, quod nova & antiqua Sacramenta substantia & materia differant. Quod contra Sacrament utros monstrandum fuit.

Erratum, Theol. 57. l. pro veteris, novæ.


44 $\frac{5}{26}$

(x2010054)

22.







B.I.G.

Farbkarte #13

risto:
 SACRA
IMINE
 STAMEN-
 n ijsdem

Pontificios &
 ero tomo R. Bellar-
 Theologiae 21.
 proponit
 ADUS Francus.

FLERO Mainhar-

AE
 Meisneri,
 XCVI.

